

IVBILAEVM NATALITIVM  
SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO  
DOMINO  
WILHELMO  
ERNESTO

DVCI SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE ET VVESTPHALIAE, LANDGRAVIO THVRINGIAE,  
MARCHIONI MISNÆ, PRINCIPI COMITI HENNEBERGÆ,  
COMITI MARCAE ET RAVENSBERGÆ, DYNASTÆ  
RAVENSTEINII,

PRINCIPI REGENTI AC PATRI PATRIÆ  
LONGE CLEMENTISSIMO

ANNVM SEXTVM ET QVINQVAGESIMVM

*FASTIS INGRESSO OMNIBVS SACRVM*

*D. XXXIX. DIEQVE XXX. OCTOBR. C1913CCXVII.*

IN ILL.

GYMNASIO WILHELMO-ERNESTINO

*SOLEMNIRIV CELEBRANDVM*

ORATIONIBVSQVE PANEGYRICIS HORA II. POMERID. COHONESTANDVM

A IVVENIBVS OPTIMÆ SPEI

I. CAROLO BERNH. FRIDER. DE GOECHHAVSEN,

II. GVILIELMO ERNESTO DE GOECHHAVSEN,

VINARIENSIBVS, FRATRIBVS GERMANIS.

III. IOAN. GVILIELMO STEMLERO, WICKERSTAD.

IV. IOAN. ERNESTO HEBENSTREITIO, NEOSTA-

DIO-VARISCO,

PER-ILLVSTRIBVS AC GENEROSISSIMIS AVLAE PROCERIBVS

CONSILIARIIS DVCALIBVS, PROTO-SYNEDRII ADSESSORIBVS, GYMNASIARCHIS,

PATRONIS, SVMMÆ REVERENDI MINISTERII COLLEGIS, OMNIVM  
ORDINVM FAVORIBVS

INGENVARVMQVE ARTIVM CVLTORIBVS EA QVA DECET

PIETATE OBSERVANTIA ET HVMANITATE INDICIT

M. IO. CHRISTOPH. KIESEWETTER, RECTOR.

VINARIÆ, LITERIS IOH. LEONH. MVMBACHII.

57

56.



**S**i cuncta humanæ necessitatis beneficia,  
quibus frui contingit,  
ad fontem, inde dimanarunt,  
referri nullo non jure oporteat,  
summaque semper grati animi putetur testificatio,  
agnoscere divini Numinis clementiam,  
in eaque amplificanda omne studium & curam ponere;  
Nos utique omnes hoc cumprimis tempore,  
quo festi diei imperatur solemnitas,  
secreta non solum æstimatione pensare,  
verum etiam publico nomine collaudare decet  
singulare illud beneficium,

quo sæculari nostro  
**IVBILAEO EVANGELICO**

aliud amplissimæ dignitatis  
**IVBILAEVM,**

multis precibus votisque cumulandum, jungitur.

In utroque deprehendimus,  
quæ nostri nos admonent officii,  
adeo, ut nullo plane præsidio, e fortuitis casibus petito,  
oculos mentemque eo dirigamus unice,  
unde tanta rerum ubertas suam traxit originem.

Est profecto

luculentum communis lætitiæ testimonium  
circumactis jam ducentis annis,  
triumphare de libertate Christiana,  
quæ, excusso papali jugo, caput quasi erigere,  
& allicere bonos quosque coepit,  
ad rite æstimandam felicitatem Ecclesiasticam,  
quæ ministerio

**B. MARTINI LVTHERI**

parta, & adhuc conservata est,

plane divino provisu,

adversus veritatis hostes infensissimos.

Tum, quod **IVBILAEVM** illud

indivulsum fidumque comitem fortitur

**NATALITIVM IVBILAEVM**

**SERENISSIMI PRINCIPIS AC DŌMINI,**

**DOMINI**

**WILHELMI ERNESTI,**

**DVCIS SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,**

**ANGARIAE ET WESTPHALIAE,**

**LANDGRAVII THVRINGIAE, MARCHIONIS MISNIAE,**

**PRINCIPIS COMITIS HENNEBERGAE,**

**COMITIS MARCAE ET RAVENSBERGAE,**

**DYNASTAE RAVENSTEINI,**

**PRINCIPIS REGENTIS AC PATRIS PATRIAE**

**CLEMENTISSIMI,**

diei XXX. Octobris sacrum festumque,

ac

ac cunctis civibus venerabile,  
non alio, quam fausto omine, coelesti adflatu perciti,  
mutuaque gratulatione instincti,  
id prosequendum statuamus necesse est.  
Rara quippe dicendi subministratur materia,  
quæ tanti possit esse momenti,  
ut illorum exemplis certare liceat,  
qui Natales suos, arcto nexu copulatos,  
cum Natalibus revivifcentis Ecclesiæ Evangelicæ,  
cœlesti munere fortunatos prædicare,  
ac aliis contemplandos proponere queant.

Nos vero,  
quibus fortuna adspirat benignior,  
quum sancte colamus dies,  
divinæ benignitatis plenissimos,  
tantum videmur consecuti, quantum solent,  
qui & propriæ felicitatis sunt æstimatores æquissimi,  
& alterius fortunam, omni prosperitate temperatam,  
putant suam.

Vix annus est præterlapsus,  
ex quo nobis  
uberrima gaudendi gratulandique præbebatur occasio,  
hoc ipso natali die

PRINCIPIS SERENISSIMI,  
qui & natalis tum esse coepit Gymnasii,  
WILHELMO - ERNESTINI,  
e ruinis excitati sumtibus magnificis:  
primoque jam exacto anno,  
quum *Natali isti Serenissimo nihil sit vicinius*  
*Secundo Tubileo Evangelico,*  
postridie, quanta maxima fieri potest pietate, celebrando,

nullum magis optari cunctis,  
sanctiusque occupari potest officium,  
quam quod exsolvatur adfectu pronissimo.

Fac, esse non minus jucundos atque illustres dies,  
quibus conservamur,  
quam quibus nascimur sine sensu,  
& salutis certam præcipi lætitiã,  
nascendi incertam conditionem:

fac, utrinque nobis  
divinæ benignitatis proponi merita,  
unde dijudicari possit,  
quid ortus vitæque progrossus in recessu habeat:

tantum tamen abest,  
ut ætatis commoda præferri mereantur  
nativitatis beneficio,  
ut longe existimetur præstantius,  
mirifice extrahi in lucem divino munere,  
quam versari in luce hominum,  
a quibus in omni vita nihil humani sit alienum.



Profana Epicuri mens graves Philosophos  
longe majoribus indulgere jubet speculationibus,  
quam ut magnopere sollicitos esse velit  
de natali, quo gaudeant, honestissimo:  
quasi viliora essent nativitatis auspicia,  
quæ quis nactus sit divina clementia,  
quam humanitatis officia,  
quæ magno studio per omnem vitæ decursum peraguntur.  
Est in utroque decus & multum excellentia:  
in utroque latet momentum aliquod,  
inseui multum tribuamus necesse est.  
Ast enimvero sanior  
in contrarium allegari videtur sententia  
*Hipponensis Episcopi,*  
quum e lepida quadam collatione  
vid demum convenire doceat mortalibus,  
quod factu præstitumque sit laudabilis.  
Encænia nimirum Hierosolymis,  
hoc est,  
dedicationis Templi, DEO consecrati, memoriam  
patrio ritu recolendam suscipi:  
multo majorem curam efflagitare natales hominum,  
qui fabricam divini Templi representarent,  
quique manibus fabricatum Templum adirent  
ad persolvendas gratias,  
quibus ad plura danda invitaretur Numen benignissimum.  
Immo quum templum longe augustius  
esse corpus humanum agnosceret, palamque fateretur,  
hoc ipsum quidem DEI opere, aliud quodvis humano labore,  
illud, sub spe æternitatis, hoc perditionis  
exstructum esse prædicabat.  
Interim honoris Tempia statuant,  
quicunque meritòrum gloriam, nominisque famam  
atcupari, æternitatiq; consecrare student:  
Nos in amoris ac deliciarum Templo,  
quod PRINCIPIS PIENTISSIMI effigiem refert,  
animi corporisque oculos desigimus,  
nec esse volumus alterius,  
quamdiu nobis inde virtutis exempla,  
inter pacis otia, fortunatosque rerum successus,  
petere ac intueri licuerit.  
Iubila ibi sonant concentu mirifico:  
a nobis redduntur Iubila,  
quæ anniversariam renovant memoriam,  
nulla avi nostri fraude turbanda,  
nullisque contristanda infidiis.  
Quare si reduci  
Natali Serenissimo  
Iubilatorum decus e præsentis Iubilæo,  
quocum copulatus, adscribi debeat,

nihil

nihil inesse videtur pietati nostræ,  
quod non depromptum sit ex intimis cordis penetralibus.

Io! festa dies,  
tanto majori plausu ac júbilo excipienda,  
quanto illustrius exemplum nobis subicitur,  
in quo merita majorum,  
& quicquid inde præclari peti potest, contuemur.

Qui TE igitur  
*AVGVSTO* feliciorum volunt,  
*PRINCEPS SERENISSIME*,  
angustæ simul dignitati Tuæ nihil invident,  
quod optimis omnium sæculorum Principibus  
per vota precesque unquam fuit exsolutum.

Tua enim res agit,  
Tuis & inserviendum rebus secundis atque prosperis,  
& pro salute Tua, quæ nostra putatur, excubandum strenue.

*AVGVSTVM* ferunt pro meritis,  
quibus inclaruit, efflicti fuisse dilectum,  
atque adeo senatus consulta vel necessitate expressa, vel verecundia:

hinc & Romanos equites,  
ut natalem Ejus sponte & consensu omnium  
biduo semper celebrare instituerent,  
facili negotio sibi adjunxisse omnes ordines,  
qui communi suffragio ipsius honori velificarentur.  
Tum ut lacum Curtii adire consueverunt,  
ex voto quotannis pro salute Ejus stipem injecturi,  
hoc ipso nihil non fecisse arbitrabantur,  
quod DEos manes redderet propitios.

Ac nos quidem omnes & singulos  
eadem, quam isti professi, alacritate incitatos,  
non temporum superiorum consuetudo tam alligari  
ad unius saltem diei ferias,

*Natali Serenissimo* impendendas,  
quin ipsa communitatem habere videantur ferias,  
Iubilæo destinata,  
cum solemnitate natalis,  
ut jure quodam in numerum Iubilæorum referri queat.

Nec alius aliam,  
quam quæ sponte præstetur,  
in exsolvendo culum promittit operam.  
Lacum detestamur & deliramenta gentilium,  
quibus temere adfinguntur vesana mentis somnia:  
ad abyssum tamen divinæ benignitatis confugimus,  
ab eaque unice perpetua salutis incrementa,  
firma spe calentes & fiducia, expetimus.

Rem denique qualiscunque ominis fuisse credamus,  
*OCTAVIVM illum AVGVSTVM*,  
sub natalis adventum plerumque languisse  
ex attentata valetudine:

perhiberique sinatus luculentæ fidei testimonium?



de Antipatro Sidonio Poëta,  
quod quovis natali die, febrî correptus,  
tandemque ætate gravis, eo ipso vitam cum morte commutarit.

Certe nobis omnibus,  
(quod in summa felicitate deputandum),  
nulla querelarum necessitate compulsis,  
in tanta prosperitate, rebusque secundis  
*SERENISSIMI PRINCIPIS NOSTRI*  
sanctius nullum imponitur officium,  
quam quod exequamur anniversaria communis  
felicitatis memoria.

Idque, tanto videtur illustrius  
secreta æstimatione pensitantibus,  
quanto clementius beneficia, quibus adhuc frui contigit,  
nova quadam munificentia,  
quæ *Natalitii legati* nomen titulumque gerat,  
exaugere voluit.

Quia nimirum  
memorable inusitataque munificentia exemplum  
*SERENISSIMI, nunc beatissimi, PRINCIPIS*  
*IOANNIS ERNESTI,*

vel superare, vel exæquare voluit  
*Pater Patriæ clementissimus,*  
nullum omnino est dubium,  
quin virtutes, majoribus quasi theatris propositas,  
seræ posteritati imitandas relinquat.

ILLE enim  
ut munus humanitatis ac pietatis plenissimum ostenderet,  
primo superioris sæculi Iubilæo,  
non mente solum agitare coepit exercenda  
munificentia consilia,  
verum etiam, quam destinaret pecuniæ summam,  
erogari curavit clementissime.

Iam secundo hoc Iubilæo,  
ut de proluxa beneficaque natura  
*SERENISSIMI NVTRITORIS NOSTRI*  
nihil limasse videretur ætas opportunissima,  
natali lætissimo decernere nunc voluit,  
quod majoribus nostris faciendum erat  
festis diebus Iubilæi auspiciatissimi.  
Hunc ipsum vero diem anniversarium  
æquiparari posse Iubilæo exoptatissimo,  
facile iam tum, prona omnium voluntate, adsecuti videmur.

Ora igitur linguasque solvimus in laudes Tuas,  
*SERENISSIME PRINCEPS,*  
*DOMINE CLEMENTISSIME,*  
nullaque ætate silenda benefacta Tua  
memori mente adeo custodimus,  
ut posteri a nobis capiant exemplum,  
quod intueantur, & sempiternæ gloriæ commendent,

in-

inſiſte veſtigiiſ MAIORVM TVORVM,  
quos propinqua cognatione contingis,  
nec ullo vinci patere bene merendi ſtudio,  
quod eſſe poſſit incitamento,  
ut Tua poſthac longa ferie veſtigia legant,  
quotquot a Saxonum ſtirpe ſuam traxiſſe originem  
meminerint.

Quare & ea maxime elati felicitate,  
quæ TIBI obtingit hodie,  
feſtiviſ vocibus adplaudimus,  
Supremum Numen humillime eſſagitantem,  
ut diuturnum TIBI nobiſque ſinat gaudium,  
Natalemque TVVM ſemper conſtituat Iubilæum,  
noviſ ſubinde jubiliſ devotiſſimaque gratulatione  
obſequentiſſimorum civium cohoneſtandum.  
Vive inter TVos quam diutiſſime,  
& ita vive, DOMINE CLEMENTIſſIME,  
ut nunquam languor obrepat ulluſ,  
nunquam animi corporiſque vigori inſulter externa viſ,  
aut conſiciat in triſtitiã,  
qui ſalvo TE, de Natali TVO exultare coeperunt.  
Tot ſiant in poſterum acceſſiones & fortunæ & dignitatiſ TVæ,  
quot favent meritiſ TViſ;  
& precando nobiſcum effice,  
ut hic ipſe dieſ,

vel diuturnitate boniſ omnibuſ reddatur jucundior,  
vel excellentia ſua exiſtat venerabilior.

Hinc ut declaretur certiuſ,  
quid noſtri ſit obſequii & voluntatiſ devotiſſimæ,  
aliquot bonæ ſpei adoleſcentes & alumnos,  
gratæ mentiſ teſtimonio incitatiſſimoſ,  
e Gymnaſio noſtro producemuſ,  
qui, quod cedat in decuſ & ſplendorem Nataliſ optimi,  
politiſ orationibuſ, quaſ memoriſter recitabunt,  
cras, auxiliante DEO, exequentur demiffiſſime.

Primum igitur locum occupabit  
CAROLVS BERNHARDVſ FRIDERICVſ  
DE GOECHHAVſEN,

Latina oratione perſecuturuſ ea, quæ treſ ultimi  
Electoreſ Saxonie Sereniſſimi, ad ſtabiliendam doctriſnam  
Evangelicã, primumque celebrandum Iubilæum,  
ſincero pietatiſ adſectu contulerunt.

Secundum GVILIELMVſ ERNEſTVſ

DE GOECHHAVſEN,

Germanica oratione exhibituruſ SERENIſſimVM  
PRINCIPEM NOSTRVſ REGENTEM, Majorum  
ſuorum prementem veſtigia, in propoganda  
eadem doctriſna, celebrandoque Secundo Iubilæo maxime aſſiduum.

Tertium IOAN. GVILIELMVſ STEMLER,

WICKERSTADIENſIſ,

Duca-



Ducalis beneficiarius, Latine delineaturus  
PRINCIPEM REGENTEM,  
subiunctaque gratulatione de natali die,  
devotissimaque gratiarum actione pro beneficiis,  
mox studiis academicis innutriendus,  
Musis nostris valedicet.  
Quartum denique IOAN. ERNESTVS HEBENSTREIT,  
Neostadio - Variscus,  
Latino eoque ligato sermone depicturus  
*Principem fortunatum,*  
quicquid expectari a bonæ frugi alumno queat,  
pari pietate persolvat.  
Ac ut eo potissimum argumento  
distingui omnes cum laude viderentur,  
quod temporibus nostris sit accommodatum,  
dicendi occasione arrepta a solempni eoque  
*Seculari Iubilæo Lutheranorum,*  
pro se quisque, quod scopo suo inferviet,  
referre ad *Natalem Serenissimum,*  
eumque, quoad ejus fieri poterit,  
dicendo illustriorem reddere conabuntur.  
Nostrum est, *VOBIS*  
Per-Illustres ac-Generosissimi aule Proceres,  
Consiliiarii omnium Collegiorum ducalium excellentissimi,  
Adflores gravissimi,  
Summe Reverendi ministerii Antistes & Collegæ venerabiles,  
Patroni, Gymnasiarchæ, Fautores,  
& quotquot artibus honestissimis estis eruditi,  
non rogare solum,  
verum etiam maxima obtestatione petere,  
ut illud temporis spatiosum, sacris nostris destinatum,  
auscultando traducere suaviter,  
feriasque nobiscum obire scholasticas,  
veluti ad principem aram sanctiora persoluturi vota,  
haud dedignemini.  
A VOBIS enim profectum putabimus,  
quod Musis nostris conciliare decus,  
nobisque tantum adferre fiduciæ possit,  
quantum expetunt,  
qui in colendis amplificandisque Nominibus vestris  
patriam collocare sanctitatem convenerunt.  
PP. Vinariæ, D. XXIII. OCTOBR.  
CIC MDCC XVII.



IVBILAEVM NATALITIVM  
 SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO  
 DOMINO  
 WILHELMO  
 ERNESTO



NIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM  
 VESTPHALIAE, LANDGRAVIO THVRINGIAE,  
 MISNLE, PRINCIPI COMITI HENNEBERGÆ,  
 MARCAE ET RAVENSBERGÆ, DYNASTÆ  
 RAVENSTEINII,  
 REGENTI AC PATRI PATRIÆ  
 LONGE CLEMENTISSIMO  
 EXTVM ET QVINQVAGESIMVM  
 VSTIS INGRESSO OMINIBVS SACRVM  
 DIEQVE XXX. OCTOBR. MDCCCXVII.  
 IN ILL.  
 IO WILHELMO-ERNESTINO  
 SOLEMNI RITV CELEBRANDVM  
 E PANEGYRICIS HORA II. POMERID. COHONESTANDVM  
 A IVVENIBVS OPTIMÆ SPEI  
 BERNH. FRIDER. DE GOECHHAVSEN,  
 MO ERNESTO DE GOECHHAVSEN,  
 VINARIENSIBVS, FRATRIBVS GERMANIS.  
 VILIELMO STEMLERO, WICKERSTAD.  
 ERNESTO HEBENSTREITIO, NEOSTA-  
 DIO-VARISCO,  
 BVS AC GENEROSISSIMIS AVLAE PROCERIBVS  
 ALIBVS, PROTO-SYNEDRII ADSESSORIBVS, GYMNASIARCHIS,  
 SVMMÆ REVERENDI MINISTERII COLLEGIS, OMNIVM  
 ORDINVM FAVORIBVS  
 QVARVMQVE ARTIVM CVLTORIBVS EA QVA DECET  
 LETATE OBSERVANTIA ET HVMANITATE INDICIT  
 RISTOPH. KIESEWETTER, RECTOR.

VINARIÆ, LITERIS IOH. LEONH. MYMBACHII.

57

58.

